

destruentur et ^{a)} dispergentur in Endor, et in stercus et sterquilinium rediguntur ⁶⁴⁾). Nam dominus Deus exercituum, Deus ulcionum, qui libere egit cum eo ⁶⁵⁾, certamen forte dedit illi, ut vinceret et sciret, quoniam omnibus potentibus potentior extat ipse ⁶⁶⁾, honestavit illum in laboribus et in gloria labores eius magnifice adimplebit ⁶⁷⁾).

(13) Hic est David ⁶⁸⁾ manu fortis et visu desiderabilis, qui Iebuseum deiecit ⁶⁹⁾, vere vultu desiderabilis, quia levis natura, blandus aspectu, sanctus spiritu, denique totus unctus. Quis mihi tribuet ^{b)} eius angelicam videre faciem, que ^{c)} plena est graciaram ⁷⁰⁾, quis mihi tribuet eius audire sapienciam, que exuperat omnem sensum ⁷¹⁾; certe dicerem cum Petro in monte Thabor posito: *Domine, bonum est nos hic esse* ⁷²⁾, *hec requies mea in seculum seculi, hic in perpetuum habitabo* ⁷³⁾).

(14) Eya igitur karissimi, salutemus eum cum Gabriele angelo: *Ave* ⁷⁴⁾ domine imperator, *gracia Dei plene, dominus tecum*, subaudi: fuit, est et erit; fuit in puericia sive adolescencia, quando Herodes querebat puerum ad perdendum ⁷⁵⁾ et defuncti sunt omnes taliter requirentes; est modo in bellis presentibus, quando filii alieni, infideles vasalli et reprobi, mentiti sunt, filii alieni, qui inveteraverunt in maliciis et in semitis fidei claudicaverunt ⁷⁶⁾; et erit in eternum in omnibus factis patris, quia dominus docuit manus vestras ad prelium et vestros digitos ad bellum ⁷⁷⁾. *Benedictus tu inter reges* ⁷⁸⁾, id est super omnes reges, et *benedictus fructus ventris tui* ⁷⁹⁾, id est fructus pulcherrimus rex Cunradus, vester filius predilectus ⁸⁰⁾, in quo vobis bene complacuit ⁸¹⁾ et in perpetuum complacebit, filius accrescens Ioseph, filius accrescens et decorus aspectu ⁸²⁾, filius accrescens per etatem, filius accrescens per sapienciam, potestatem et honorem, et decorus aspectu abintus atque afforis, omnis gloria filiorum regum abintus ⁸³⁾. *Benedictus filius iste in filiis Asser* ⁸⁴⁾, scilicet rex Cunradus, ferrum et es calciamentum eius ⁸⁵⁾, benedicat ei potencia Dei Iacob benedictionibus celi desuper et benedictionibus terre ^{d)} iacentis deorsum ⁸⁶⁾, omnes benedictiones fiant in capite Ioseph et in

^{a)} *Dahinter* et pereunt coram ipso *getilgt* *Hs.* ^{b)} tribuit *Hs.* ^{c)} *Dahinter* est *getilgt* *Hs.* ^{d)} *Dahinter* deorsum *getilgt* *Hs.*

⁶⁴⁾ *Ps.* 82, 11; fuerunt quasi sterquilinium terre *vers. ant. S. Hieronymi.*
⁶⁵⁾ *Ps.* 93, 1. ⁶⁶⁾ *Sap.* 10, 12. ⁶⁷⁾ *Sap.* 10, 10. ⁶⁸⁾ *David* vgl. *Kantorowicz, a. a. O. S.* 79. ⁶⁹⁾ 2. *Reg.* 5, 6—10. ⁷⁰⁾ *Luc.* 1, 28. ⁷¹⁾ *Philipp.* 4, 7.
⁷²⁾ *Matth.* 17, 4. ⁷³⁾ *Ps.* 131, 14. ⁷⁴⁾ *Luc.* 1, 28. ⁷⁵⁾ Vgl. *Matth.* 2, 16.
⁷⁶⁾ *Ps.* 17, 46. ⁷⁷⁾ *Ps.* 143, 1. ⁷⁸⁾ *Luc.* 1, 42. ⁷⁹⁾ *Kg. Konrad IV.* ⁸⁰⁾ *Matth.* 17, 5. ⁸¹⁾ *Gen.* 49, 22. ⁸²⁾ *Ps.* 44, 14. ⁸³⁾ *Deut.* 33, 24. ⁸⁴⁾ *Deut.* 33, 25.
⁸⁵⁾ *Gen.* 49, 25.